

Augustinus Dulcicio, Tribuno, ut Donatistas Edicto suo corrigat, non occidat, deque mira vesania quorundam, qui sibi necem consciscabant.

*Domino eximio & honorabili filio, Dulcicio, Augustinus salutem
in Domino.*

*Meminit
Possid in
Ind.
* Al. gra-
tulatur;
quidam
tamen*

309.

** Al. suæ
provinciae
verr.*

2. Reg. 18. 5.

Non debui contemnere petitionem tuam, quâ desiderâsti à me institui, quemadmodum te oporteat hæreticis respondere, quorum salus in Domini misericordia, instantiâ quoq; tuæ Strenuitatis, inquiritur. Quamvis enim ingentes eorum multitudines, [unde plurimum * gratulamur;] quid sibi beneficii conferatur, intelligant; quidam tamen eorum, & Deo & hominibus miserabili instinctu furoris ingrati, nisi suis cædibus, nos vastare non possunt, suo nos exitio terrere se credunt, aut lætitiâ suam quærentes de mortibus nostris, aut tristitiâ nostram de mortibus suis. Sed non debet tot tantorumque populorum salutem furiosus error hominum impedire paucorum. Quid eis velimus, non solum Deus & prudentes homines, verum etiam ipsi, cum sint nobis inimicissimi, sentiunt. Cum enim * suâ perniciæ terrendos putant, non dubitant, nos timere, ne pereant. Sed quid faciamus, videntes, quod multi, adjuvante Domino, per occasionem vestram, viam pacis inveniunt? Numquid prohibere nos possumus vel debemus ab hac unitatis instantiâ, dum metuimus, ne quidam durissimi & in se ipsos crudelissimi, non nostrâ; sed propriâ voluntate, se perdant? Optaremus quidem, ut omnes, qui contra Christum portant signum Christi, & contra Evangelium de ipso Evangelio, quod non intelligunt, gloriantur, à sua perversitate discederent, & nobiscum in ejus unitatē gauderent. Sed quoniam Deus, occultâ satis dispositione; sed tamen justâ, nonnullos eorum pœnis prædestinavit extremis; procul dubio melius, incomparabili numerositate plurimis ab illa pestifera divisione & dispersione redintegris atque collectis, quidam suis ignibus pereunt, quàm pariter universi sempiternis ignibus gehennarum merito sacrilegæ dissensionis ardebunt. Sic enim pereuntes dolet Ecclesia; quemadmodum rebellem filium sanctus David, de cujus salute servanda sollicitâ dilectione mandaverat. Nam eum merito nefandæ impietatis extinctum, etiam cum testimonio lacrymosæ vocis, ingemuit: Veruntamen superbo & maligno discedente in locum suum, populus DEI, qui fuerat illius tyrannide divisus, agnovit Regem suum, & de amisso filio mœrorem patris perfectio consolata est unitatis. Non itaque reprehendimus, Domine eximie & honorabilis fili, quod tales homines apud Tamugadem

dem